

gna res videbatur Supremi Ecclesiae Praesulis providentia, nec longa sane illi consultatione opus fuit, ut Purpuram tibi, & inter Ecclesiae Principes locum decerneret; quod scilicet & accessio fieret honoris, & universalis Ecclesiae rebus optimè consuleretur. Delata est tandem Viro summo Dignitas non impar: vocatus est à summo Hierarcha in partem curarum totius Ecclesiae Vir, cui ad tantum pondus sustinendum nihil deerat, non vetustissimae nobilitatis decus, non scientiae dignitas, non prudentia singularis. Quibus rebus omnibus magna nobis speranda, & captato de praeteritis omine, & de praesentibus certo pignore tenemus. Praeteriti sunt temporis, sed & beneficio praesentia, quae tibi accepto refert Hispania; Te enim cum delectis ab Innocentio XIII. eximiis Viris auctore, molienteque, laudatissima illa prodit Constitutio, universi per Hispanias Regularis, & Saecularis Cleri mores ad primariam Sanctitatem refingens. Te Fidei Promotore, duodecim Caelituum consecratis Nominibus, ac tribus aliis decretis Sanctitatis honoribus secundariis, tam felici incremento Religio provecta est, quanto antea nè integro quidem saeculo creverat. Inter praesentia verò Principatus tui decora illud sanè praclarum reputandum est, Te scilicet novis ita impendisse, ut veteribus etiam non deesses. Fidei Promotoris, S. Officii Consultoris, Advocati Concistorialis, S. Congregationis A' secretis, Episcopi, Cardinalis muneribus, unus omnibus, solus tantis diu sufficis. Magna haec majoribus extenuas. Quam olim operam Summis Pontificibus, Benedicti XIII. feliciter regnantis Decessoribus, in rebus maximi ad Ecclesiam momenti non utilem tantum, sed & felicem contulisti; ea nunc pariter, sed majori auctoritate validiore Pontificias de Ecclesia universa sollicitudines relevas, rebus omnibus contumacibus, etiam & deploratis manum admovens, expediens omnia, ut absque Te ardui tractetur nihil, nihil tractante Te fallat. Haec tui sunt crepundia Principatus, atque his demum initiis, quid nobis de caetero sperandum sit, mente facilius, quam verbis assequimur. Unum superest, ut qui Te ad tantae dignitatis apicem provexit, quod ex eminenti illa specula Ecclesiae suae bonis longius prospiceres, Te pariter sospitet Deus, parem Fidelium votis, parem necessitati vitam largitus.

EMINENTIAE TUAE

Humillimus, & Obsequens. Famulus
Leonardus Venturini.

PRÆFATIO INTERPRETIS.

Neminem sanè arbitror futurum, qui post traditum nostram potissimum operam Latinis literis Viri doctissimi R. P. D. Augustini Calmet Biblicum Dictionarium, rationem ex me quarat, cur ad Dissertationes & Prolegomena in omnes & singulos Sacra Scriptura Libros viri ejusdem longè eruditissimi animum applicaverim. Semel enim inito consilio, nostros homines in eo studii genere juvenandi, id erat nobis pariter committendum, ut post inditam rerum Biblicarum generalem quandam ideam, quod in Dictionario egregiè praestitum est, ad singula deinde expendenda dispositi jam animi traducerentur. Ea est enim studendi ratio absolutissima, si omnia prius generali quadam notione teneantur, tum ad singula deinde, syntheticam, ut ajunt, methodo, excutienda descendamus. Hanc Tyronibus regulam in Historia studio praescribit vir doctus D. Langlet in sua Methodo ad Historia studium à Gallico Auctoris Italicè excusà Venetiis, to. 2. in 8. Hanc instruit viam ad studium Sacra Scriptura Vir eruditissimus, cujus modò Opus Latine traditum damus, in Praefatione ad Bibliothecam Sacram, quam Biblico Dictionario praefixit. Sunt autem Prolegomena & Dissertationes Biblica, quas Latinis auribus recitamus, aptissime, ut studiosos Lectores plenius instruant; cum & elaboratissimi Commentarii loco esse possint, & omnium instar ingentium illorum voluminum, quae de singulis Scripturae difficultatibus viri doctissimi omnis, sed maxime recentioris aetatis scripserunt. Periculum rei faciat, si quis vult, unam, quae fortè occurrerit, è Dissertationibus hisce expendendam suscipiens. In Dissertatione de Synedriis, de Successionibus Sacerdotum, quid profecto eorum desideres [si morosas tantum digressiones, & proluxa Orientalium Librorum fragmenta Latina adjecta interpretatione excipias] quae Seldenus tribus spissis voluminibus complexus est? Quae ille pariter singulari opere de Diis Syris collegit, hac majoris momenti omnia in Dissertatione de Numinibus Phoenicum & Chanaanorum noster exhibuit. Laudatissima illa Joannis Alberti Fabricii de Apocryphis utriusque Testamenti volumina, minus utique desiderantur postquam optima quaeque, & suis disposita locis, ac maxime in Dissertationibus de Apocryphis Evangeliiis, & de Actis Pilati deducta ab Auctore, ac selecta tenemus. Nec optima tantum excerpit vir doctissimus; sed meliori collocat in lumine, novis à se inventis confirmat, plurima addit, ad criticæ trutinam expendit omnia, certa ab incertis secernit. Passim haec inter legendum offendas, ut nihil immorandum nobis censeamus in peculiaribus Dissertationibus indicandis. Nova tamen si quis designari à nobis aliqua voluerit, adeat Dissertationem de Gog & Magog, de Chronologia, & in Dissertatione de Numinibus Moabitarum quam affert de luctu super mortuo Hebraeis interdicto eruditissimam expositionem.

Neque is ego sum, qui laudibus hisce meis detractum aliquid voluerim de aestimatione Operis multò quam volumina haec nostra amplioris, perpetuorum nempe in S. Scripturam Commentariorum. In illo enim aequè omnia majoris minorisque indaginis excussa, ingenti sanè ad eruditionem comparandam, commodo habemus; hic verò majoris tantum moliminis res tra-

eradantur. Itineris veluti salebra nostro hoc opere tolluntur, ut deinde veluti per stratam planamque viam in Commentariorum studium procedamus.

Erunt tamen, facile credimus, sui in Opere præclarissimo novi; quorum aliquos, si fortè offendimus, appositâ ad marginem breviori notâ vel in ipso Textu quibusdam adjectis, detersimus. In Dissertatione de Paschate ea omnia de nostro adhecimus, quibus communis sententia de celebrato reipsa à Jesu Christo novissimo Paschate firmatur: quam in rem auctores in centoresque habuimus viros doctissimos, communem Ecclesia sententiam retineri oportere arbitrantur. Nostra verò hæc à cæteris Authoris vel signo aliquo adscripto, vel mutato caractere distinguere abs re esse censuimus, cum humanissimis datis ad nos literis clarissimus Author significaverit, ea omnia probare se, & adoptare, quæ nobis addenda & reformanda viderentur. In Dissertatione de Septuaginta Septimanis vix admitteremus systema illud, quo periodi illius terminus in Machabæis constituitur; ipse enim Jesus Christus id nobis insinuasse videtur, ut abominationem desolationis, à Daniele prædictam, veluti hebdomadarum illarum complementum in fatis esse adhuc doceret: quod ex illis ejus verbis intelligimus: Cum videritis abominationem desolationis, quæ prædicta est à Daniele Prophetâ, stantem in loco sancto &c. Novi equidem Authorem 1. Machabæorum 1. 17. aliquid designare de abominatione desolationis, tanquam sub Antiocho impleta; sed præbrasi illâ, abominationem desolationis, accommodatitio quodam, ut ajunt, sensu usus Author videtur, nec unquam significavit hæc à se indicatam abominationem, ipsissimam esse Danielis oraculo prædictam. Vicissim autem Christus & abominationem desolationis, & oraculi Danielis complementum verbis illis suis luculentissimè exprimit.

In Prolegomeno ad Evangelium S. Marci breviori notâ indicavimus, quæ de Codice illo Veneto S. Marci sedulo observavit vir Doctissimus D. Scipio Maffejus in sua Historia Diplomatica, nuper anno 1727. excusâ Mantua apud Tuzermanum in 4. pag. 79. Cum de Actis Pilati Author noster differeret, Acta illa, quæ ex Lucensî Codice recitat Florentinus noster, primò ab ipso vulgata non obscure autumasse se demonstrat. Rem ipse accepit à Fabricio in Apocryphis N. T. Sed animadvertisse pariter opus erat, eundem Fabricium errorem suum, agnitum emendasse in Paralipomenis ad Pilati Epistolâ, pag. 479. in tomo addito ad Codicem Apocryphum N. T. Testatur enim hæc eandem Pilati Epistolam diu ante Florentinum vulgasse Bartholomæum Chassanum in Catalogo Gloria mundi, excuso primò Venetiis ann. 1571. in fol. Nec sanè decus ex eo monumento primò vulgato tantum est, ut prius illo in gratiam veritatis Concivem nostrum doctissimum feramus inveni. Ex quo autem de Actis Pilati sermo incidit, hic obiter adnotamus, Acta quedam Pilati, tanquam spuria, & falsò scripta suggillari à S. Luciano martyre, verba coram Judice pro fide Christiana faciente, apud Rufinum Histor. Eccles. 1.9. c.6. Hunc locum, quòd Authorem nostrum, imò & oculatissimum Fabricium fugerit, notare optimum factu censemus. Suspiciamus autem Sanctissimum illum Martyrem censura hæc sua inuisse Acta illa Maximini Imperatoris auctoritate vulgata. Alia occurrent legentibus ejus generis à nobis breviori aliquâ ad marginem notâ animadversa.

Sunt ista quidem leviora, quanquam summi, uti reor, momenti ad argumentum illud nunquam satis insinuatim inculcandum, homines scilicet, quamvis doctissimos, & in summo eruditionis culmine, veluti supra ceteros constitutos, homines esse tamen semper, & nunquam ab imposta cæteris conditione ita eximi, ut errare non possint in multis, quin & errent aliquando. Cæterum Lucubrationes istas quanto in pretio Eruditi omnes habuerint, è repetitis sapius illarum Editionibus sat intelligimus. Prodicunt primò in vasto Commentariorum opere ad sua singula loca distributa Parisiis ab anno 1707. usque ad 1712. tomis 26. in 4. Sed cum tanta Librorum strues Eruditos, quorum sanè census plerumque tenuior est, absterret, opportuno sanè consilio Avenionensis Typographus Collectionem dedit Dissertationum & Prolegomenon 5. voluminibus in 8. ann. 1715. excusam. Excepit hæc editionem nova altera Amstelodamensis in 12. in qua novus Lucubrationibus illis ordo. Sed post priorem ejus Operis tomum jam vulgatum succedentes omnes adhuc expectantur. Alteram post hæc curavit Author ipse auctiorem accuratioremque, publici juris factam Parisiis

ann.

ann. 1720. in 4. tom. 3. apud Emery & Socios. Tandem ann. 1726. prodiit nova & luculentior Commentariorum omnium unâ cum Dissertationibus in singulos Scripture Libros distributis editio, octo in folio tomos referens.

Inter hæc omnes editiones nos Avenionensem adhibuimus, non quòd cæteris præstare arbitraremur, sed quòd alia in promptu non esset. Cum tamen post absolutam jam versionem ad manus serò tandem nostras venissent Commentarii Authoris in universam Scripturam, recusi Parisiis, facta de nostris hæc cum excusis ibi Lucubrationibus collatione, succurrit tandem, quòd aliàs etiam in lectione Gallicanarum Ephemeridum didiceramus, sed nescio quo fato exciderat, multum adhuc superesse nobis laborandum, quò totum opus ad secundas Authoris curas resingeretur. In ea temporum qua tunc versabamur angustia, illud expectatissimum censuimus, si factâ Latinarum Dissertationum cum Gallicis illis collatione, prout singula reformabantur, seorsum excudendas Typographo committeremus, reservatis ad calcem totius operis novis illis Dissertationibus ab Authore adjectis, supplementi ibi loco tradendis. Excusabunt profectò Lectores eruditi leve hoc in methodo erratum, quippe qui rem tenentes, adscititia veluti ornamenta, si fortè desint, non vehementer queruntur. Non defuturos ceteroqui arbitramur viros doctos, quibus servatus à nobis ordo secundum Librorum seriem præ illo arideat, quo res singula in sua veluti capita digeste tractantur. Quanquam enim postrema ista distributio ab Authore ipso selecta sit in Parisensi Collectione huic editioni, priorem tamen retinuit in Editione Commentariorum omnium postrema, de qua supra. Nec sanè minimè conducit legentibus singulos S. Scripture Libros, si Dissertationes habeant in promptu, quibus ardua quæque ejus Libri vel mitescant, vel penitus tolluntur.

Ut autem aliquid de versione hac nostra dicamus, illud iterum profiteamur, quòd olim pariter in Præfatione Dictionario præfixa expressimus, nimirum fidei in vertendo religiosissimè inhaesisse. Quanquam res nobis felicior planè in novo hoc Opere, quam in illo olim cessit. Cum enim in adornanda Dictionarii versione inter maximas, quibus distinebamur, curas non modicum etiam negotium facerent & præli quotidiana flagitationes, & Eruditorum undique sollicitationes, factum inde ut vix descripta ex ore dictantis ab Amanuensi folia, excudenda statim raperentur, ne dato quidem spatio referendi ad Gallicum exemplar extemporale illud Latinum scriptum, quòd oscitanter sive scripta, sive lecta, sive percepta, sapientioribus curis reformarentur. E' re quidem Eruditorum fecisset Venetus Typographus, si editionem suam nostri illius operis tantisper morari sustinuisset, quoadusque de consilio suo certiores nos faciens, castigaciones nostras, quas libentissimè communicassemus, opperiretur. Sed ille commodis suis omnia habens deteriora, reipsâ tamen rebus suis minus servavit, quòd Eruditorum res omnes negligeret.

Defecatiore est igitur nostra hæc versio præ illa, quòd commodius temporis spatium nacti, absolutum jam Opus ad Gallicum Exemplar ex integro recensuimus. Qua in re operam nobis suam egregiè præstitit P. Josephus Maria Priani, sicut & synbolam contulit P. Septimius Bruni, Genuenses ambo, ac Instituti, sicut & studiorum societate mihi conjunctissimi, quorum postremo debent Eruditi Latinam versionem omnium Dissertationum ab Epistola 1. ad Corinthios adque Apocalypsim; utriusque autem eo nomine plurimum debere me, factâ palam beneficii confessione, profiteor.